QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM. DIE IOVIS XXVIII MARTII.

M. FRANCISCO BLONDEL, DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An Monſtra Formatricis Peccata?

TOTA aberrat Natura qui damnat erroris totam: qui totam abſoluit, totam ignorat. Natura vna *a* non vna *b* Materia & Forma. Hæc iſtâ *c* potior & potiùs, nec tamen prior. Grandæua quidem illa rerum Vniuerſi mater, *d* ἄγονος ſuâ ſe tuetur orbitate, ortus interituſque χώρα καὶ χώρα, ideo ἄπλανος, æqua cunctis, *e* κακοποιὸς vel amica nulli, æternâ lege ἄζυγος, nulliuſque corrupta commercio. Huius verò manceps altera Protei genus *f* Eidothea mixtorum addicta genti, volgiuagâ Venere ſic expoſita ſingulis, nulli vt ne momento conſtet, æſtu reciproco & perenni vltrò citroque *g* ἄστατος, ſine modo mutabilis meditatur diſceſſionem: quæ deperit mox faſtidit caduca ſtudiis, quia nec vna, nec in vno, nec in vnum deſinit. Nempe τὸ ἓν *g* στοιχειωτικὸν ſortita peritura cuncta hanc rupêre teſſeram ſolidæ immortalitatis: ex quo fœta formis, fœda peccatis deſolat ſingula, nihilque cùm amet ſolitarium, quas Parens edidit fouitque ſinu, inexhauſtæ proſtibula libidinis, quaſi ſui læna aut nouerca pellaci patientiâ properè elidit, ac genio peregrinis amoribus abalienato rejiculas exponit, vetere exturbat domicilio, ad *h* ἀνακάθαρσιν τῆς γενέσεως modò luci redditura Orco demittit. Proniore quidem in ſortem viuentium, *i* ἀταξίας, ἀκοσμίας, ἑτεροιότητος maleficio, vnde erroris ſemina partuſque Monſtriferi, quibus primis rudimentis, paruis momentis multa ſeciùs affingi, mutari, detrahi, interpolari, conciliari, aſciſci, reprobari, adoptari ſuſtinet; adeo multiformi *k* ὁμοιομερείας ſobole, vt omnia ab vno in vnum recidant. Exinde communi nexa vinculo gentilitatis ſimul exorbitant Elementa & mixta: Aquæ, Stirpes, Fructus, Animalia, ceu alterius Deucalionis ſata manu, lapideſcunt; *l* nentur, liqueſcunt lapides: *m* piſces aër volucres alit, *n* humus foſſiles; ignis *o* pyrauſtas, pyragnum *p* grauida Vulcano Terra: Aqua *q* conchas anatiferas, aues natatiles: Plantarum ambit *r* Corallus familiam, quam Indicus *r* calamus abdicat. Parenti ſimile non edi, in *ſ* homine Monſtri meditatio eſt, in Ouiparis Natura, Inſectis *t* vaga magis queis fit ouum ex bombyce, ex ouo vermiculus, bruchus è vermiculo, de brucho necydalus, è necydalo bombyx, *u* è bombyce rurſus ouum, *x* ὥσπερ τῆς φύσεως διαυλοδρομούσης καὶ ἀνελιττομένης ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ὅθεν ἦλθεν. Auſa quin etiam illa adumbrare hominem in *y* Orchide, mentiri in *z* ſimia, ne in vlla ſui parte Monſtra deſint, aut præludia Monſtrorum.

a Hipoc. lib. de Alim. *b* Ariſt. lib. 2. Phyſic. cap. 1. *c* lib. 1. de part. animal. cap. 1. *d* lib. 3. de anima cap. 5. Plotinus Ennead. 3. l. 6. cap. 9. *e* Proclus in Timæum. *f* Euſtathius in Odyſſ. 4. pag. 1503. lin 8. Sextus Empeiric. adu. Mathem. pag. 309. c. *g* D. Dionyſ. de Diuin. nom. cap. 13. ſect. 2. *h* Triſmegiſt. Pimand. cap. 14. *i* Philo Iudæus de Opificio mundi. *k* Ariſt. lib. 1. de gener. & corrup. cap. 1. *l* Theophr. de lapidib. *m* Ex Trebio Nigro. Plin lib. 32 nat. hiſt. cap. 2. *n* Theophr. de Piſcibus. Plin. lib. 9 cap 57. *o* Ariſt. lib. 5. de Hiſt. animal cap. 19. Plin. lib. 11. cap. 36. *p* Strabo lib. 5. geogr. *q* Mathias de Lobel in obſeruat. *r* Theophr. de lapid. *ſ* Ariſt. lib. 4. de gener. an. cap. 3. *t* Ariſt. lib. 5. de Hiſt. an. cap. 29. *u* Ariſt. lib. 5. de Hiſt. an. cap. 19. *x* lib. 2. de gener. an. cap. 6. *y* Fabius Columna lib minùs cognitar. ſtirp. cap. 146. *z* Plin. lib. 8. cap. 54. & lib. 11 cap. 44. Ariſt. 2. de Hiſt. an. cap. 8.

EXPERS ideò Materiæ ſtat Æternitas & durat, cuius contagione ægreſcit Mortalitas inter carceris ſitum & tædia *a* καθόδου minore eo fœlicior detrimento. Quare fingi ante quàm naſci homini pœna, neque vna illa Naturæ παρεκβάσεως caſu ſæpenumerò aberrantis: ſi modò error eſt *b* νόμου προσγινομένου erroris diſciplina, vel Monſtrum eſſe cœpit ab *c* Archetypo labi, diciue non debuit error exemplar erroris: ſed opus exaſciatum artificis *d* δικαιοτάτου iuxta & *e* μιμητικωτάτου totam amplianris Naturam exornantiſque. Illius ecce tyrocinio prima veluti reiectamenta in ipſo Animæ & Naturæ veſtibulo *f* holothuria, *f* pulmones, *f* ſtellæ, *f* ſpongiæ, ζωόφυτα, ἀμφίβια, ἐπαμφοτερίζοντα, in ſpecimen dati *g* μακροκέφαλοι, *h* στρουθοκέφαλοι, *i* φοξοὶ, *k* tuditani; in næuis ac notis genitiuis memori pertinacique originis vindicta, *l* Seleucidarum humero anchorâ, oleâ *m* Pelopidarum, Thebanæ *m* gentis lanceâ; ceu Naturæ quodam vadimoniô, quarto quoque partu in *n* Dacis redeunte emphyteutico iſto iure ſimilitudinis, cæteroqui ſolido & pleno in κεισάσαις στειχοχαράτοις Quocirca nil Monſtri alunt, *p* ſtrabones, *q* pæteli *r* ῥινόσιμοι, *ſ* bronci, *t* ſili, *u* ſilones, frontones, capitones, *x* Therſitæ, *y* σχινοκέφαλοι *z* Flacci, *aa* γαλιάγκωνες, *bb* planci, *cc* ploti, *dd* panſæ, *ee* ſcauri, *ff* compernes, *gg* vaciæ, *hh* petilis cruribus, *ii* attæ, *kk* δίκοροι, *ll* Cicerones, Lentuli, *mm* Syllæ, *nn* Coſſi: neque ſicubi degunt, velut in equis *oo* ginni, manni, ſuibus *pp* τὰ μετάχοιρα, *qq* væſco pygmæi corpore, vægrandi gigantes, *rr* pſoli, *ſſ* aſello bipede ſteriles, *tt* homines feri, *uu* humeris oculati, *xx* faneſii, Androgyni (vt in hircis *yy* τραγαίναι) *zz* hyænæ annali alter nante ſexu, auerſis poſt crura plantis, *aaa* monocoli, ἄκνημοι, ore concreto, ſine naribus, ſuperiore labro aut lingua, obſignatâ naturâ, plumoſâ cute, caudati: vel ſemiferi *bbb* Ægipanes, Satyri, Tritones, Nereides. Hæc quandiu motum, qui in ſemine nec vnus *ccc* nec vnius, *ddd* ὡς ἐπιτοπολὺ καὶ τεταγμένως vis Formatrix retinuerit, injuriâ accuſas, vti virem *eee* capneon, Æthiopem, *fff* albonigras Caucaſias Veneris ſimpulatrices, *ggg* crocottam, mulum, *hhh* hinnum, *iii* ibrida, *kkk* muſimonem, *lll* tityrum, *mmm* amphisbænam bicipitem. Quod inſolens, quod rarò, præter Naturæ legem, cauſam habet ἀόριστον, Monſtrum id ſolùm eſto, cuius nuſquam vltra ſpe-ciem error; quare fabulas reputa Empedoclis *nnn* τὰ βουγενῆ ἀνδρόπρωρα, ex veterino genere *ooo* confieri Centauros, vel ferinâ adoptione Chimæram, Scyllam, Sphingem, cæteraque eiuſmodi *ppp* ἀλλοφυῆ καὶ ἀποφώλια μορμολυκεῖα, ſomnia vigilantium.

a Plotinus lib. 3. Ennead. 4. ſect. 12. *b* Hipp. lib. de aëre locis, & aquis. *c* Ariſt. lib. 4. de gener. an. cap. 4. *d* Hipp. lib. de fractur. *e* Ariſt lib. de Poëtica. cap. 4. *f* Plin. lib. 9. cap. 47. *g* grandi capite. *h* exili capite. *i* acuminato capite. *k* compreſſo capite Feſtus, Sigonius. *l* Iuſtinus lib. 15. Hiſtor. cap. 4. *m* Alexander ab Alexandro, lib. 2. cap. 19. *n* Plin. lib. 7. cap. 11. *o* Cedrenus Hiſtor. compend. *p* oculis diſtortis. *q* oculis leuiter auerſis *r* naribus ſimis. *ſ* ore & dentibus prominulis. *t* naſo ſurſum verſus repando. *u* ſupercilijs grandibus. *x* vultu diſtorto, ſpecie deformi. *y* ſcillæ forma turbinato capite. *z* latis auribus ſurſum reflexis. *aa* Miſtelæ cubito. *bb* planis ſupra modum pedibus. *cc* Vmbrorum more humili pede. *dd* Expanſis & latis pedibus. *ee* talis tumentibus. *ff* intro inclinantibus ſuris. *gg* cruribus varis. *hh* cruribus exilibus. *ii* ſummis plantis incedentes. *kk* variante pupilla. *ll* à ciceris & lentis forma extante. *mm* Ficoſo vultu rubentibus tuberculis exaſperato. *nn* rugoſa fronte. *oo* Ariſt. 6. de hiſt. an. cap. 24. *pp* Ibid. cap. 18. & 24. *qq* paruo corpore. Plin. lib. 6. cap. 30. *rr*. Ariſtoph. in Pluto & Nubibus. *ſſ* veretro Iuuenal. ſatyr. 9. *tt* Pauſan. in Corinth. *uu* Plin. lib. 7. cap. 2. *xx* Plin. lib. 4. cap. 13. & lib. 7. cap. 2. auribus incubantes. *yy* Ariſt. 4 de gen. an. cap. 4. *zz* Ariſtot. 3. de gener. an. c. 6. ex Herodoto Heracleota. Tertullian. de Pallio. cap. 3. *aaa* Plin. lib. 7. cap. 2. *bbb* ſemicapri Plin lib. 5. cap 1 *ccc* Ariſt. 4. de Gen. an. 3 cap. *ddd* lib. 1. Rhetor. cap. 10 *eee* lib. 4. de gen. an. cap. 4. *fff* Philoſtrat. lib. 3. de vit. Apollon, cap. 1. *ggg* ex hyæna & leæna. Solinus Polyhiſt. c. 27. *hhh* ex equo & aſina. *iii* ex apro & ſue. *kkk* ex capra & ariete *lll* ex oue & hirco. *mmm* Ælian. lib. 9. de animal. c. 23. *nnn* Ariſtot. 2. Phyſic. cap. 8. *ooo* Lucret lib. 5 *ppp* Nonnus lib. 2. Dionyſ. verſ. 148.

HI perinde Monſtra loquuntur qui cœlo Monſtra imputant mentiti *a* παχυμερέστερον Mathematici, quaſi ſeuerâ ſupremâque lege ſiderum humana vincta tenerentur, illorumque nutu ſicuti ridicularia *b* νευρόσπαστα agerentur opera Naturæ. Scilicet tantùm ſibi ſumunt *c* errantes per aſtra, cœli negotia in tenebris noctium perquirentes, vitæ ſortem & mores cuique aſſignare auſi illi Naturæ & Fortunæ menſores. Totum hominem ſuo fingunt arbitratu, deſcribunt radio pro eo Monſtrum protinùs architectati, ſi quando *d* ferina ſigna ſuis in cardinibus incurrunt Planetæ malefici, & cum Domino præuiæ Conjunctionis Oppoſitioniſve, ſignificator natiuitatis Horoſcopus conſciaque Luna fecerint diuortium. Fati quinetiam Planetis propitiis diffindunt diem, prouocant & maturant, quum ominoſo Diis Genialibus poſitu ſederit in *e* occaſu ſuper diametro Mercurius ἀσυμβάτος, ſuper tetragono Saturnus retrogradus, ſuper centro Mars Apocataſticus. Tibi verò qui meliùs ſapis eadem hominis quæ Monſtri cauſa, neutra Cœli vel Animæ, ſed geniture ab vtroque parente, cui *f* πῶς ὁμωνύμως, deriuatæ impreſſos in Naturæ ſimilitudinem vitales motus exerentis conantiſve. Semen enim vitam habere vel animam κύημα, niſi *g* δυνάμει, tàm alienum à Naturæ *h* inſtituto ordine quàm ab eius idoneo & iuſto interprete; vna huic illique modò penſi eſt ἐνέργεια πρὸς διοργάνωσιν quam nonniſi inuitè aberratura irrequieto motu inſita vſque promouet animæ parentum tradux & vicaria Formatrix facultas. Partium ſingularum illa typum quem non inuenit delineat, abſoluit & refert. Sit enim licet vndecunque corrogatum delibatumque ſemen, nætu idcirco *i* ὁλοφυὲς meritò dixeris? tanquam hominis foret compendium, eiuſque omnes λόγους reipſâ contineret, quibus ſubinde ſolùm diſcriminandis operata allaboraret, ductiſque primulùm lineis prodirent Monſtra, *l* deſerente videlicet nexam præſentarij ὁμορυσμοῦ fidem conuena genitura & iterato coitu aberrante; quaſi verò muſiuo opere, partito negotio ſolidaretur aut coaleſceret vniuerſa compages membrorum, ſuique foret mancipij vis corporis artifex quæ certum conſtitutumque ſibi finem deſineret. Non hæ Formatricis artes, nil *m* tyrocinio peccat illa, omnem extra ruditatem & culpam eſt, quam in *n* materiam, vel τὰ ἔξωθεν æquiùs transferas, neque aliunde requiras Monſtra, aut fruſtratæ Veneris ludibria Monſtrique primitias molam.

a Phauorinus apud Gell. lib. 14. Noct. Attic. cap. 1. *b* Lucian. Dialog. de Syria Dea, lignei homunculi erant benè vaſati in Dionyſi s ferri ſoliti. *c* D. P. Chryſologus ſermon. 156. *d* Ptolem. lib. 3. tetrabibl. *e* Sidon. Apollin. Epiſtol. l. 8. Epiſtol ad Lupum 11. *f* Ariſt. 7. Metaphyſ. cap. 9. *g* lib. 2. de gener. anim. cap. 3. *h* lib. 2. Pyſic. cap. 8. *i* Ariſt. lib. 2. phyſ. cap. 8. *l* Ariſt. lib. 4. de gen. an. cap. 4. ex Democriti ſententia. *m* Manil. lib. 1. Aſtronom. verſu 189. *n* Themiſt. Paraphr. in 2. Phyſ. cap. 8.

QVINIMO vnam & principem conformationis peccatis qui oneras *a* Materiam nihil peccas? quimodum non tenes, nihil tenes? in caput erroris per gradus itur. Præceps ſiquidem iſta eſt, ac ſuopte nutu prona in vi-tium, ordinis neſcia, moribus πολύτροπος, amans viciſſitudinis, pluribus, variis, contrariis, alienis apta ſtudiis odiiſque συγκρίσεων, διακρίσεων in iiſque tota ſeſe continuò excipientibus ſedet reſes illa miſtorum *b* ὑπόσταθμη. Ex quo cauſa potiùs quàm Natura peccata diſtinguit. Hæc totius quidem vel *c* partium exceſſus, defectus, mole, numero, genitalis vbertas materiæ ſæpiùs facit, aliquando penuria. Nam quæ ſemine turgent *d* πολυχιδῆ inter quadrupedes minora, inter aues quæ oua *d* σωρηδὸν non ſerpentum more *d* στοιχηδὸν concipiunt, Monſtrifica. Paucum an ineptum ſemen perinde eſt, vtrinque pomiliones, manci, ἄναρθροι, ἐνόρχαι μονόρχεις, exoſſes; ſola verò copia capitones, *e* cilones, *f* chilones, Atlantes, bimembres, πολυκέφαλοι, ſedigiti, pluribus manibus, pedibus, τριόρχεις, hermaphroditæ. Inſolente ſitu, nexu, diuiſione peccatur, ſemen vbi concretius, liquidius, ſequaci lentore tenacius, accedit his in cumulum locorum anguſtia, laxitas, peruerſitas immodeſta, ardor πυρώδης, aritudo, frigus, πλάδος, corneola durities. Vtque nauem naucleri maior arte vis ventorum, ita ſeminis ictum aliò quandoque auertit, abripit & transfert æſtus impotens liberque impetus τῶν ὁρμώντων, atque vnà animi commotio in ſequiore ſexu ἐμπαθεστέρα genitalis λειτουργίας perturbat ordinem, formam naturalium diuerſimodè confundendo componit, facilique diuerticulo ἀποπλάσματα obſcurat vel delet: modò ad Dominæ nutum Phantaſiæ præpoſteris imaginoſæ fœtæ cupediis, ſtudiiſve ſeruire iubetur virtus Formatrix, hominemque fingere arietino capite, canino rictu, auribus aſininis, ſetis horridum, ſquamis imbricatum, Elephanti corio, planipedem, quæ Naturæ *g* παραχαράγματα *h* ἐοικότα tantùm ortus ἔκφυλα bigeneris neu creduis? Talia præ ſe ferant ſtirpes adulteria degenere ſatu vel inſitionis accurata mangonio, *i* cognatis etiam modò nota plantis, vel pleriſque animalium non ſine damno fœcunditatis, aliàs ſterili planè hominis flagitio. Tot in Naturæ ſinu vterique tutela dum fit patet obnoxius peccatis: tantùm vitij primas inter vltimaſque lineas formando dedolandoque corpuſculo, caſus vel leuiſſimus importat: quando ſicuti nil extremum inuenit aut fabricatur Natura, ita nil omni ex parte perfectum expolit & beat.

a Philopon. com. in cap. 8 lib. 2. phyſ. Idem Simplicius. Pſellus. Ariſt. 4. de gen. an. cap. 4. *b* Ammon. com. 2. in lib de Interpret. ſect. 1. *c* Finition. Medic apud Galenum. Ariſt. 2. phyſic. cap. 8. *d* Ariſt lib. 4. de gen. an cap. 4. *e* Fronte prominula. *f* labeones labiis extantibus. *g* Apſyrtus lib. 2. de re Veterin. cap. 115. *h* Ariſt. 4. de gen. an cap. 3. *i* Theophraſt 5. de cauſ. plantar cap. 8. & 2. de hiſtor. plantar. cap. 6.

IN his ideò ſolùm & ab his quæ ſunt interminata non vno peccatur modo, quia malum *a* τοῦ ἀπείρου: quod autem vnum, vnius & ad vnum nullius reum aberrationis; patientis illud, hoc agentis naturalis, cuius par ſemper & idem *b* τὸ κινητικὸν καὶ κατορθοῦν, vnus ſpecie, numero, fluxu, termino à carceribus ad metam motus, mixto viuenti peræque ac ſimplici naturalis elemento, omnis idcirco expers ἀνωμαλίας qua tantùm decedit recto, quantùm accedit errori; addere proinde ſe neſcit in ſpatia lineamve tranſire ad vnum determinatæ neceſſitatis adamantinis *c* conſtrictum vinculis, nec otiari potis aut fatigari, deſinit eſſe feriari vbi cœpit. Eiuſdem planè ordinis & cenſus Formatrix facultas, quanquam titulo maior dignitatis, nec ſuo egredi officio, nec opificio quit deeſſe: vnde ſtirpibus, inſectis ſiue ἀπὸ ταὐτομάτου, ſeu ἀπὸ τῶν συγγενῶν rariora Monſtra, perfectis animantibus frequentiora, neque illa Soli rerum parenti φερεσβίῳ, neque hæc mouenti genituram virtuti adſcribenda: quare erubeſcat æui ſapientia αὐτομάτων peccatis cœlum parens abſolui, quibus hominis natales turpiùs infamantur, meliùſque ſubducta ratione accipiat ἐν ὕλῃ *d* τὸ κακὸν, vbi ſuperat, deficit, venit aut fit impar obſequio, alienis diuino operi intemperiis agitur ac præuortitur, quibus nihilominùs à nemine doctæ Formatricis ars tota ſeſe tum approbat proditque illuſtrior. Habet namque aliquid de ſuo maius hic error. Humano capiti ceruicem iungat equinam; tam diligenter in alieno ludit illa, quàm laborat in ſuo, nec propterea tum deficit in homine quûm bruto vacat, argutia operis vtrobique cuſtodita non exuit quam deformat Naturam; tam ſingulari *e* ἀκαίρους προσθήκας reddit ſolidatque artificiô, quod nulla ars, nulla manus, nullus opifex conſequi valeat imitando. Age verò num plus nominis attulit *f* Praxiteli Cupido, Myroni Minerua, quàm Satyrus vtrique, Polycli Hermaphroditus? Sui deſiderio vt pretio maiores imperfectæ etiam tabulæ *g* Venus Apellis, Timomachi Medea; Phidiæque προτομαὶς Materia non ars deſeruit. Eccur itaque Monſtra præter *h* Naturam objicis, aut quia ἀτελῆ, fortuita & ſine fine? nihil illis in ſolidum perit, integra tuentur adhuc iura Naturæ cuius ſunt miracula non peccata: adeo ſuis illa quoque ſibi placet *i* ſilenis, ſic datura ſcenam licentiore laſciuia perſonam induit, mirumque exhibet facie *l* mæandrata, ore diſtortum, deformem, morionem, ſpecie ambigua: etſi de cætero velut his erubeſceret, pene ſuũ id eſſe nolit aut *m* diu videri quod tulit inſititius error, eôque veniant nomine deportandi τερατόμορφοι, vnius labe Materiæ *n* ἄφρονες, *o* æuique breuioris.

a Ariſt. 2. Ethic. cap. 6. *b* Simplic. & Philopon. com. in cap 8. lib. 2. Phyſ. *c* Iſidor. Peluſiota Epiſt. ad Hieracem. Diacon. 461. lib. 5. *d* Dionyſ. de Diuin. nom. cap. 4. ſect. 28. Gal. 2. de dieb. decr. cap 9. Ariſt. lib. 1. Rhetor. cap. 10. Themiſt. in cap 8. lib. 2. phyſ. Item Philopon. Æneas Gazæus in Theophraſto. *e* Diodorus Tarſenſis Epiſcopus, lib. 4. contra fatum apud Photiũ *f* Pauſan. in Atticis. *g* Plin. lib. 35. cap. 10. *h* Ariſt. lib. 2. phyſ. cap. 8. de Animal. inceſſu cap. 11. 1° Politic. cap. 5. 2° de ortu & interitu cap. 10. Vicommercatus in lib. 2. phyſ. *i* Imagunculis ridiculis, Alcibiades in Platonis Sympoſio. *l* verſicolore & vermiculata Nonnus ex Varronis Menippæa. *m* Alexand. Aphrodiſ. Problem. 47. lib. 2. *n* Caſius Iatroſophiſt. Problem. 51. *o* Ariſt. 4. de generat. anim. c. 4.

Non Ergo Monſtra Formatricis Peccata.

Proponebat Lutetiæ PETRVS YVELIN Pariſinus A. R. S. H. DC. LXIX.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE